

testimonio indigent, instrumentis evidencie muniantur. Notum sit igitur || universis presentem litteram inspecturis, quod nos Wythego miles et dominus in Kamencz universa bona, que || nostrum hospitale contiguum nostre civitati Kamencz habet in villa Bernbruch, apropiavimus jam dicto hospitali et contulimus libere in perpetuum possidenda, ita videlicet quod eadem bona exactionibus et precariis cunctisque angariis, quocunque 5 nomine censeantur, penitus sint exempta. Et quia predictum hospitale a claustro Stelle sancte Marie sue fundacionis usque in hunc diem habuit originem et assumpsit, concedimus et volumus, si ipsum hospitale, aliqua occasione interveniente, deleteretur, quod prememorata bona in Bernbruch ad ipsum claustrum pertineant et ei jure deserviant prelibato. In cujus rei testimonium presentem litteram per manus Rulconis conscriptam predicto 10 hospitali dedimus nostri sigilli munimine roboratam, adhibitis testibus videlicet domino Heinrico Parice fratre ordinis predicatorum, domino Conrado plebano in Kamencz, domino Johanne et domino Petro tunc rectoribus prenominati hospitalis, Heinmanno de Blochs- dorf et Hermanno de Bichsofzheyem militibus et aliis quam pluribus fide dignis. Anno domini M. CCC. XV., decimo octavo kalendas mai, in die Tyburcii et Valeriani martirum 15 beatorum.

10.

Witego Herr von Kamenz nebst Witego, Borso und seinen übrigen Söhnen verzichtet auf das ihm gemachte Versprechen, daß die Pfarrei in der Stadt Kamenz nach ihrem Rathe verliehen werden solle, dergestalt, daß nur das Kloster Marienstern dieselbe zu besetzen habe. 20

Kamenz, 1317 Aug. 23.

Hdschr.: Or. Perg. Klosterarchiv Marienstern No. 125. Das S. (Fragm. und undeutlich, wohl ebenso wie an No. 9) an einem Pergamentstr., der durch Lostrennung des unteren Randes der Urk. gebildet ist.

Nos Witigo dominus de Kamenz et Witigo et Borso filii nostri cum reliquis filiis nostris abrenunciamus || executioni promissionis nobis facte, quod ecclesia in ista civitate 25 nostra Kamenz secundum consilium || nostrum deberet conferri, elongantes nos ab ipsa, ita quod neque nos neque aliquis filiorum sive consanguineorum nostrorum in perpetuum aliquid juris in collatione predictae ecclesie sibi vindicare debeat aut valeat, sed ipsius ecclesie collatio ad solam abbatissam monasterii Stelle sancte Marie de cetero pertinebit. Insuper nos et filii nostri exhibemus nos ad satisfaciendum pro dampnis, que ipsi filii 30 nostri bonis monasterii predicti quacunque ex causa vel quomodocunque intulerunt, secundum quod ipsa domina abbatissa prefati monasterii et dilectus patruus noster Otto de Thucharaz^a) nos pro predictis dampnis judicaverint satisfacere debere. Insuper nos una cum filiis nostris obligamus nos ad promovendum ammodum [!] predictum monasterium pro nostris viribus bona fide. Precamur autem et votis omnibus exoptamus, venerabilem 35 dominam abbatissam et conventum jam sepe memorati monasterii pro nobis et pro filiis nostris dominum altissimum perpetuo exorari, pro quo nos et sepe dicti filii nostri predicto monasterio honorum causa esse temptabimus et eidem bonam voluntatem in omnibus